



Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Disciplinae:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reperiuntur, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

P. q. 4.



23

SPECIALIS
METAPHYSICÆ
DISPUTATIO III.

De
RATIONE FORMALI
SUPPOSITI,

CONTRA GOSLAVIUM PHOTINIA-
NUM DIRECTA,

Quam
Auspicio & subsidio S. S. Trinitatis

In
Celeberrimâ WITTEBERGENSIUM ACADEMIA
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstadiâ Halberstadenſis Saxonis,
Amplifs. Facult. Philof. Adjuncti,

Publicè ad diſputandum proponit

M. GEORGIUS VOGLERUS,
Pegnitio Francus,

In Auditorio majore

Ad diem 8. Maji, horis à 7. matut.



WITTEBERGÆ,
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO MDCXXIV.



RECEIVED
METAPHYSICÆ
DISPUTATIO III
RATIONALI FORMALI
SUPPOSITI
CONTRA COLAVUM PHOTINIA
NUM. D. L. C. A.

Author: Augustus Wilhelm Leibniz
Title: Disputatio III
M. JOHANNIS SCHARTII
M. GEORGII VOGLERII
Regniis Franciæ
In Aulicâ Mathematicâ
Al. d. m. 1704. 4to. 120. pp.

Ex Typographiæ & Bibliothecæ
AL. Typogr.
ANNO M. DC. LXXIV.





SPECIALIS METAPHYSICÆ
DISPUTATIO TERTIA.

Continuatio.

Materialem suppositi conditionem in antecedente disputatione explicuimus & contra Goslavium demonstravimus, substantiam in ratione suppositi non esse verum genus, sed subjectum: nunc de *ratione suppositi formali* disquirendum venit uberius & planius. Sit igitur cum bono Deo.

THESIS I.

Suppono edictis in præcedente disputatione vocem *Suppositi* esse concretivam, ita ut includat materiale & Formale. *Materiale* supra probavimus esse naturam seu substantiam, quæ denominatur suppositum & est suppositata substantia. *Formale suppositi* nunc inquirendum venit.

II. Igitur primò *naturam*, seu *substantiam*, quæ subjectum & quasi materia est suppositi formaliter sumti, hîc facile removemus: quod scilicet illa nequeat absolvere formalem suppositi rationem. Omnino enim hæc à suo subjecto distinguenda est: sicuti in omnibus veris terminis concretivis *aliud est subjectum denominatum, & itidem aliud est forma denominans.*

III. Dico aliud, *alietate* puta *proportionali* ad concretionem, hoc est, alietate vel reali, vel formali, & eâ, quæ aliquo modo est ex parte rei, prout scilicet terminus est concretivus.

IV. *Suppositum est concretivus terminus non ita, quasi concreseat ex re & re distinctis diversisque; sed ex re & modo in creaturis concreseat, ut porro confirmabimus. Res illa est subjectum, nempe natura substantialis, quæ afficitur & determinatur illo modo supposititalitatis.*

V. Nunc ergo unice queritur & precise disquiritur de illo modo, prout abstrahitur à suo illo subjecto, & abstractè, hoc est, precise sumitur. Sic igitur de supposito abstractè sumto seu in virtute abstracti nunc dispiciendum venit unice.

Quidditas
concreto-
rum ex
formâ ab-
stractâ de-
sumitur.

VI. Et rectè quidem merito que ^{onre} creatorum doctrina formaliter estimatur & derivatur ex eo, quod in vi abstractionis inferunt. Tota enim concretorum vis & essentia propria aut quidditas distincta, quâ formaliter, aut non raro essentialiter differunt ab aliis, consistit in formâ abstractâ, quam precise distincteque dicunt & ponunt in subjecto. v. g. album est concretum ex subjecto & superadditâ albedine: cujus sanè essentia derivatur ex formâ illa superadditâ, nempe ex albedine: nequaquam vero ex subjecto. Hoc enim est substantia, nempe corpus, utpote paries, qui denominatur albus per albedinem: Sed unice essentiâ & quidditatem propriam albi exprimit albedo: similiter in reliquis, ut docti quidditas explicatur per doctrinam: frigidi per frigus, calidi per calorem.

Supposita-
litas.

VII. Sic ergo & hinc Suppositi quidditatem distinctam & propriam explicemus & indagemus oportet ex formâ abstractâ, per quam suppositum est id, quod est: quæ est forma denominans, nempe SUPPOSITALITAS.

VIII. Nunc igitur per suppositum abstractè intelligimus suppositalitem, de cuius formali ratione ut disquiramus diligenter, maximum interest.

Error Gos-
lavii.

IX. Goslavius part. 1. disput. de personâ cap. 5. contendit ad rationem suppositi hoc tantum requiri, ut sit substantia prima. Verum erroneam esse illam Goslavii opinionem, vel edictis constare potest. Substantia enim (non secunda sed prima materialiter loquendo, hoc est, illa, quæ est singularis) saltem subjectum est Suppositalitatis, & duntaxat pertinet ad materialem Suppositi conditionem, ut prolixè demonstravimus disput. præced. Quomodo igitur poterit ab-
solvere

solvere rationem Suppositi, & ita quidem, ut nil amplius requiratur?

X. Hinc ait idem Goslavius ibid. *Suppositum esse naturam per se subsistentem: naturam, quod ex entium & rerum numero suppositum esse demonstratum sit: subsistentem, quod non insit in alio ut in subjecto: per se, quod ultimum, & ultimò terminatum, quodq; ceteris rebus supponatur. Subsistat enim per se necesse est, quicquid columna & fundamentum reliquorum est.* Hæc Goslavius.

XI. Ubi Goslavius ubique confundit *Suppositum concretè sumtum*, cum abstracto. Quæstio est de *Suppositalitate*, ejusq; ratione formali. Goslavius vero semper disputat de supposito, prout hoc connotat substantiam seu naturam.

XII. Dicit primo. *Suppositum esse naturam.* Verum hoc est de supposito concretè sumto: Sed quomodo suppositum est natura? non fanè formaliter, sed *materialiter*: & ita quidem, ut natura sit subjectum, in quo est ratio Suppositi tanquam modus in eo, quod modificat, & suppositaliter determinat. Rectè quidem dixeris in concreto, *Suppositum est natura*: hoc est, suppositatum est natura: sed in abstracto accuratius & verius ita dixeris, *Suppositalitas est natura, vel est modificatio naturæ.* Quomodo
suppositum
sit natura.

XIII. Addit rationem: *quia ex entium & rerum numero suppositum esse demonstratum est.* Respondemus cum nostris præceptoribus honorandis, Goslavium ubique confundere *modum entis* cum ipso ente. Suppositum in abstracto, hoc est *suppositalitas* (prout nunc de suppositi ratione disputamus) non est propriè ens ipsum, nec est ex numero entium propriè dictorum: sed saltem est *quodam* seu modus entis: scilicet terminus est substantiæ primæ in ratione subsistendi, ut mox ex *suarezio* demonstrabitur. Supposita-
litas non
est entitas
nova di-
stineta à
natura rei.

XIV. Neque vero hoc ipsum demonstravit Goslavius: sed ubiq; commiscuit *materiale suppositi* cum *ejus formali*: con-

fudit concretum cum abstracto. Suppositum quoad materiam, in concreto, esse ens nemo negat. Sed Goslavii, hoc est in quaestione: *An suppositum formaliter sit Ens, hoc est, an suppositivitas in ratione propria sit ens: Id est, quod nos negamus: Rectius est entis, quam ipsum ens; quippe modus est.*

XV. Fortè non negabit Goslavius, *modum rei formaliter non esse ipsam rem.* Ergo etiam concedat oportet Suppositivitatem non esse formaliter ipsum ens.

Quomodo
Modus sit
ens.

XVI. Interim hoc non negamus, quod *suppositivitas essentialiter implicet entitatem: dico essentialiter, non formaliter.* Suppositivitas enim essentialiter non differt ab ente seu à naturâ: sed habet illam ipsam essentiam, quæ est naturæ, ita ut sit una essentia naturæ suppositivæ, & suppositivitatis superadditæ. *Modus fanè non habet aliam essentiam, quam quæ est subjecti.* v. g. dependentia non habet aliam essentiam, diversam ab entitate creaturæ, sed Intrinsicè seu essentialiter includit ipsam essentiam creaturæ, eamque modificat & determinat ita, ut sit, denominetur dependens.

XVII. Igitur concedo, quod dicit Goslavius cap. 4. istius disput. de pers. pag. 15. *quicquid est, per essentiam est, adeò ut sublatâ, tollatur esse:* Sed hoc inde non statim inferitur, quod illa essentia (quam habet modus) sit ratio formalis ejus. Non enim omnia, quæ essentiam rei constituunt, statim exprimunt quidditatem & rationem propriam, per quam res est id, quod est. v. g. *Unitas, Veritas, Bonitas* per essentiam entis sunt, adeò ut sublatâ entitate, mox etiam tollantur istæ affectiones: Non autem propterea debeo aut possum inferre: quod essentia entis dicat & exprimat rationem propriam Unitatis, & Veritatis, & Bonitatis: Non ita. Essentia enim entis est commune subjectum omnium illarum trium affectionum. Licet ergo Unitas, Veritas, Bonitas per essentiam entis sunt, & existunt, nihilominus habent

bent distinctam propriam rationem, qua formaliter ab ente distinguuntur, itemque à se vicem.

XVIII. Non adeò ab simili modo & *suppositalitas* includit quidem essentiam naturæ, itemque per essentiam substantiæ primæ existit, sed tamen præter illud esse de se dicit rationem propriam formalem, qua modaliter differt ab essentiâ substantiæ. Et hæc *ratio suppositalitatis* præcisè non est ipsa essentia, sed modus distinctus in illâ essentiâ, connotans illam essentiam subjectivè. Suppositalitas est modus.

XIX. Summatim dico: Essentia entis, & essentia modi est eadem, sed non *QUIDDITATIS RATIO*, quæ fundatur in *FORMALITATE IPSIUS MODI*, non in formalitate essentiæ, per quam modi illi suam positionem ac entitatem nanciscuntur.

XX. Apparet itaque, quàm egregiè demonstrarit Goslavius *suppositalitem FORMALITER esse ens*, aut ex numero eorum, quæ vera sunt entia. Scilicet attendat Goslavius ad statum controversiæ: distinguat inter suppositum & *suppositalitem*: nec confundat rationem formalem suppositi cum ejus essentiâ: & tunc ineptiæ ejus manifestò deprehendentur, sponteque corment.

XXI. Porro ait ibid. Goslavius. *Suppositum esse subsistentem* (naturam) *quod non sit in alio ut in subjecto*. Ubi iterum de concreto suppositi verba fiunt. Etenim *subsistens esse*, est terminus concretivus. Nos ex suarezio distinguimus inter subsistentem rem, & subsistentiam in abstracto disp. 34. sect. 5.

XXII. Deinde sophisticatur sub ambiguitate termini, *subsistentis*. *sub* subsistere tam latè accipit Goslavius, ut omnibus substantiis conveniat. Quod sanè non absolvit rationem suppositi, uti notum est ex præced. disput.

XXIII. Quando addit, *per se*, nempè ut suppositum sit *per se per se subsistens*; iterum fallacia est æquivocationis. Nam *subsistere per se subsistere* dupliciter accipitur i. *latissimè prout inha-*

inhærentia opponitur. Et sic tribuitur substantiis primis aut singularibus quovis modo acceptis sive per se actualiter ac Independentem, incommunicativeque subsistant: sive ab aliis dependeant, & cum aliis communicatæ, & sic in aliis suppositis sint, & subsistentiam habeant, ut ignis in flammâ, in ferro, in carbone; elementa in mixtis: partes substantiarum in toto &c. 2. *Strictissime accipitur tò per se subsistere* prout omnem inhærentiam, & dependentiam (exceptâ dependentiâ universali à Deo) excludit. Et tantum suppositis peculiare est ac proprium: uti in disp. anteced. sæpe monuimus.

XXIV. Non quidem errat Goslavius, quando *per se subsistere*, quod omnem inhærentiam excludit, attribuit supposito: dum ait *suppositum ex eo esse subsistens per se, quod ultimum & ultimò terminatum, quodq; cæteris rebus supponatur. Subsistat enim per se necesse est, quicquid columna & fundamentum reliquorum est.* Hæc, inquam, bene se habent, modo loquantur & intelligantur de supposito concretivè sumto.

XXV. Sed valde errat Goslavius, dum hoc *per se subsistere* applicat ad primam substantiam: quasi ita independenter subsistere sit proprium substantiæ primæ: quasi hæc ita definiatur. Error est maxumus Goslavii. Nam juxta Aristotelem rei que veritatem; *substantia prima est, quæ neq; est in alio, neq; dicitur de alio.* Arist. in Categ. Et quidem logicè ita sumitur substantia prima, & opponitur substantiis secundis, nempe generibus & speciebus, ut erudite contra Goslavium disputat R. Excell. Dn. D. Jac. Mart. disput. Apolog. 1. thes. 32. & seqq.

XXVI. Sane dantur multe substantiæ primæ, quæ ita per se ultimatò & independentur non subsistunt, ut sæpè contra Goslavium demonstratum, & adhuc urgendum est. Quomodo igitur substantia prima poterit definiri, quod per se ultimatò subsistat?

XXVII. Adde, quod Goslavius & hîc tantum *de concreto*

Error Goslavii in applicatione & per se subsistere.

creto Suppositi concludat, non de abstracto. Suppositum materialiter sumtum est ens per se subsistens, ultimum, & ultimò terminatum, itemque fundamentum & supponitur aliis. Sed *de suppositalitate* debuisset disputare.

XXIX. Similiter in subsequentibus ubiq; de supposito concludit: nunquam suppositalitatis rationem attingit: & sic nunquam observat statum conversæ, nec ullibi probat, quod probare debet. Igitur ineptias Goslavij linquimus, donec directè probaverit 1. Suppositalitatis formalem rationem esse ens proprie dictum. 2. Substantiam primam logicè dictam definiri per ens per se subsistens ultimato, ut excludat omnem inhærentiam. 3. Suppositum nihil aliud esse, quàm substantiam primam. Quæ si probaverit, aliquid obtinebit. Sed?

*Goslavius
nunquam
concludit
de abstra-
cto suppo-
siti.*

XXIX. Nunc *ad rei veritatem* exquirendam confirmandamque; progredimur, directè & præcise inquisituri in formalem rationem suppositi seu suppositalitatis.

*Ratio for-
malis sup-
positi.*

XXX. *Formalis ratio suppositi* dicitur forma abstracta, per quam suppositum, quat. tale, est id, quod est: vel est ratio quiditatis, quâ formaliter definitur & describitur suppositum: quâque; per se distinguitur ab iis, quæ non sunt supposita.

XXXI. Hanc rationem suppositi formalem ut distinctè obtineamus, primùm duo probabimus ex autoribus probatis, & quidem ex iis, quorum autoritatem concedit & urget ipse adversarius, Goslavius: 1. *Suppositalitatem esse modum*, indeque; & ejus rationem formalem esse modum. 2. *Suppositalitatem esse subsistentiam*.

XXII. Suaretz disp. 34. sect. 4. expressis verbis & prolixè probat suppositalitatem esse modum naturæ, hoc est substantiæ, Verba ejus ibid. n. 33. ita habent. *Dico id, quod suppositum creatum addit supra naturam, distinguitur quidem in re ab ipsa naturâ, non tamen omnino realiter tanquam res à re, sed moda-*

*Supposita-
litas est mo-
dus naturæ
(substantia-
lis.*

liter ut Modus rei à re. Attende Goslavi, Id, quod super addit suppositum *natura*, distinguitur *modaliter ab ipsa, tanquam modus rei à re*, inquit Suaretz. Et prolixè ibidem hoc ipsum probat, ubi, qui dubitat adhuc, videre poterit.

Discursus
Suareti.

XXXIII. Et quid? Ipse Goslavius contra se citat Suarecium cap. 5. p. 19. his verbis. Eleganter, inquit, hac ipsâ de re differuisse mihi videtur Suarius disp. 34. sect. 2. num. 20. *Quo circa, inquit, si comparemus suppositum ad naturam distinguuntur tanquam includens & inclusum. Nam suppositum includit naturam: & aliquid addit, quod personalitas & suppositalitas aut substantia creata appellari potest. Natura vero ex se præscindit ab hoc addito seu à substantia. Quo fit ut natura possit de potentia absolutâ sine substantiâ conservari: Suppositum vero non possit conservari sine naturâ: quia illam formaliter includit, & per illam in esse talis substantia constituitur. At verò comparando substantiam ad ipsam naturam, contradistinguuntur tanquam duo extrema componentia compositum creatum.* Hæc Suarius l. c. Quem discursum Goslavius valdè approbat, ideoq; ita immediatè subdit. Quid potuit vel clarius vel elegantius dici ad explicandam vim & naturam suppositi.

Goslavius
contra se
citât verba
Suareti.

XXXIV. Ita est Goslavi. Eleganter & eruditè satis illa scribuntur & Suario de natura suppositi. Sed nullo modo pro te faciunt, sed maximum roboris habent contra tuas ineptias.

Quid na-
tura super-
addat sup-
positum.

XXXV. Docet Suaretz *1. suppositum includere naturam: & aliquid addere. Quod nam est illud, quomodo appellatur?* Resp. *Personalitas & suppositalitas*, aut *SUBSISTENTIA* creata appellari potest. En Goslavi: docet Suarius *suppositum superaddere naturæ suppositalitatem aut substantiam. Et hæc quidem non est forma entitativa distincta à natura, ut tuum est somnium, sed tantum modus est, ingenium formæ redolens. Hoc enim duntaxat vult Suarius.*

XXXVI. Igitur *2. docet, quod quidem natura possit per divi-*

*divinam potentiam absolutam conservari sine subsistentia, sed
suppositum non possit conservari sine natura.*

XXXVII. Hinc ita argumentor

*Quicquid non potest conservari sine natura, id non habet
entitatem propriam à natura realiter diversam.*

Atqui suppositum nequit conservari sine natura E.

*Suppositum non habebit propriam entitatem à natura
realiter diversam.*

*Supposita-
litas non
superaddit
naturæ en-
titem
diversam.*

Minor est Suaretij, eaq; à Goslavio concessa cum approbet
hæc verba Suarij. Major probatur ex eodem Suaretio disp.
7. sect. 2. ubi prolixè disputat de signis distinctionum: & eru-
ditè discurret de separatione verum mutuâ & non mutuâ: nem-
pe si mutuâ ab invicem separari queant, & separatim existe-
re, tunc habeant entitatem propriam veram & distinctam
ab invicem: si vero saltem non mutua interveniat separatio, probatur
ut unum quidem possit separatim conservari sine alio: sed ex Suario.
alterum non ita sine eo, tunc hoc, quod nequit seorsim con-
servari, non habeat entitatem veram & realem diversam.
Quas duas regulas ibid. prolixè persequitur & confirmat.
Ratio est, (inquit inter alia num. 8. ibid.) quia si alterum ex-
tremum tale est, ut per potentiam Dei absolutam non possit sine
alio conservari magnum argumentum est illud essentialiter tan-
tum esse MODUM QUENDAM & non veram entitatem: quia
si esset vera entitas non posset habere tam intrinsecam depen-
dentiam ab aliâ entitate, ut non possit Deus illam supplere suâ
infinite potentiâ. Ergo solum potest id provenire ex eo, quod
illud extremum in sua intrinsecâ essentiâ NON EST ENTITAS
(NB.) sed tantum MODUS.

XXXVIII. Attende Goslavi & perpende quomodo illa
verba Suarii pro te citaveris, cum evidentissimè convincant:
1. *Suppositum* (in abstracto) *non posse sine natura conservari:*
& tamen naturam sine supposito posse: Inde q; 2. *Suppositum* Error Gos-
Superaddere naturæ saltem modum, non vero entitatem. Fallis-
lavii.
simum

simum ergo est, quod jactitabas supra, suppositum (in abstracto seu suppositalitate, de qua nunc unice disputamus) esse ens verum, prout scil. distinguitur à naturâ seu substantiâ, hoc est quatenus suppositum est, vel ut ex mente Suarj evidentiùs loquar, Suppositum *quoad additamentum* (secundum id, quod superaddit naturæ) non est res, seu entitas vera realiter distincta, sed saltem modus, ut satis probavi ex Suario.

XXXIX. Et ut vis nostræ rationis cum Suario manifestò pateat, porrò adhuc ita contra Goslavium ex iisdem Suarii verbis argumentamur

Supposita-
litate[m] esse
modum
probat[ur].

Quicquid includit naturam, & in re distinctum super additur naturæ, ita tamen ut sine naturâ planè nequeat conservari, id est modus naturæ.

At Suppositalitas ita superadditur naturæ.

E. Suppositalitas est modus naturæ.

XL. Minor nota est ex Suario. Major probatur, quia enim includit naturam, est in naturâ, cui superadditur. Quomodo autem inest? ut modus in subjecto, quod patet ex illis, quando dicit: *natura præscindit ab addito hoc, ita ut sine illo esse queat natura: sed suppositum* (ratione istius superadditi) *non possit conservari sine naturâ?* Igitur nequibit inesse *ut forma entitativa*, & res distincta: aliàs in se propter illam suam entitatem propriam posset separatim conservari. Restat ergo, ut illud *superadditum naturæ*, quod Suppositalitas aut Subsistentia appellatur, saltem habeat rationem modi.

XLI. Satis ergo superq; demonstratum ex Suario, quem pro se incogitanter citaverat Goslavius, *suppositalitate[m] esse saltem modum rei seu naturæ.*

Conclusio
de modo
supposita-
litate[m].

XLII. Et ut adhuc manifestior sit causa nostra, teneantur summarim hæc fundamenta. 1. *Suppositum creatum facit*

facit compositionem cum naturâ realem tanquam modus cum re modificatâ, seu tanquam terminus cum re terminabili. 2. Suppositum modaliter distinguitur à naturâ tanquam modus rei à re. 3. Superaddit natura aliquid distinctum ex parte rei, quod non est res nova realiter diversa, de quibus, qui dubitat, legat Suarium disput. 34. sect. 4. num. 39. item disput. 34. sect. 4. n. 33. & passim in totâ illa disputatione de supposito, ejusq; naturâ.

XLIII. Quæ autem *de suppositualitate* ita probavimus, ea etiam dicenda sunt *de personalitate*. Non enim duo hi termini differunt formaliter, sed saltem materialiter. Ergo & personalitas erit Modus naturæ (scil. Intelligentis.)

Discursus

XLIV. Concludimus proinde cum Suario disput. 34. sect. 4. num. 35. *Inquiri potest cur non possit personalitas creata sine propriâ naturâ conservari: sicut è contrario potest natura existere sine propriâ personalitate.* Nam si personalitas est res prorsus distincta, nulla ratio sufficiens reddi posset, cur non posset DEUS illam servare sine propriâ naturâ: tum quia nullum ferè est sufficiens indicium hujus distinctionis realis præter separationem mutuam: tum etiam quia nulla implicatio contradictionis intercedit, neq; essentialis aliqua dependentia personalitatis ab unione actuali cum naturâ, ob quam non possit ab illa separari. *Que enim est hæc essentialis dependentia, si personalitas est res distincta? At si solum est MODUS, facilis est ratio: quia intrinseca ratio & essentia MODI est, ut per seipsum sine alio modo unionis interveniente actu sit conjunctum, & modifcet rem, cujus est modus: & ideo conservari non potest separatus à tali re: Nam hoc ipso, quod separatur, destruitur ejus ratio formalis seu essentialis. Quod autem personalitas non possit sine propriâ natura conservari, omnes supponunt (sunt verba Suarezii.) Nam sicut intelligi non potest, quod conservetur sessio*

B 3

sine

sine sedente; aut statio sine stante, neq; actualis in basi sine forma inherente: ita nec per se esse sine natura existente. Hac Suarez.

Formalis ratio suppositi sit modus.

XLV. His positis & observatis facile innotescit, quod *Formalis ratio suppositi non queat esse, nisi modus.* Modus enim modalem rationem, qua precise constituitur in esse modali, habeat necessum est. Qualis ergo modus sit suppositivitas, nunc porro inquirendum erit.

Suppositivitas dicitur substantiam.

XLVI. Dico autem *Suppositivitas nihil aliud esse quam substantiam.* Et hac de re dubium esse non potest. Ipse adversarius Goslavius definit suppositum cap. 5. part. 1. disput. de pers. quod *sit natura subsistens, & quidem per se subsistens.*

XLVII. Quod ille in concreto de supposito ponit, id nos abstracte & accuratius, adeoque *ipsam substantiam in abstracto* adsumimus, urgemusque. Recte Suarez. l.c. ait id, quod addit suppositum naturæ, suppositivitas aut SUBSISTENTIA creata appellari potest.

XLVIII. Præterea & hoc notum est, quod *substantia omnimoda*, quæ excludit omnem inhaerentiam, *per se conveniat supposito, quæ tale est.* Sic ipse Goslavius, forte inscius, passim docet ex Fonseca & Suario: *part. 1. cap. 4. sua disp. p. 18.* ait. Qui suppositi naturam evolvant substantiam ejus actum constituunt. Audi primum *Svarem.* Formaliter loquendo de supposito, ut suppositum est, substantia dicenda est de intrinseca ratione ejus, ut forma constituens illud disp.

Substantia distinguitur a substantiâ.

34. sect. 4. n. 12. Deinde *Fonsecam: substantia non est actus naturæ humanæ aut divinæ, sed solius suppositi, sive creatum illud sit, sive increatum.* 5. Met. cap. 8. quæst. 5. sect. 9.

LXIX. Quæ ita citantur à Goslavo, cum tamen aperte sint contra ipsum. Suarez & Fonseca loquuntur *de substantiâ in abstracto, eamq; distinguunt a substantiâ & naturâ:* & tamen non veretur Goslavius exinde inferre, quasi suppositum, quæ tale, nihil aliud sit, quam substantia prima.

Sub-

Subsistentiam cum istis autoribus distinguat Goslavius à substantiâ, & agnoscat ineptias suas.

L. *Subsistentiam in abstracto* & nos urgemus, eamque dicimus esse rationem, qua suppositum est & dicitur suppositum. Intellige vero *subsistentiam omnimodam & independentem* ut supra disp. anteced. sæpe monuimus. Recte Suarez disp. 34. sect. 5. n. 61. docet, quod *subsistentia completa* in rebus creatis semper sit *suppositalitas* vel *personalitas*.

Subsistentia in abstracto.

L I. Postremo igitur *quidnam formaliter sit illa subsistentia completa & omnimoda*, per quam suppositum constituitur, explicandum erit. Et quia suppositalitas seu personalitas per modum actus & formæ à nobis concipitur, ex munere & officio ejus, optimè intelligetur.

Subsistentia quid.

L II. *Subsistentia est* modus substantialis ultimò terminans substantialem naturam, & constituens rem per se subsistentem incommunicabilem, ut describit Suarius disput. 34. sect. 5.

L III. *Completa* autem intelliges hic *subsistentiam*. Nam generatim de ratione subsistentiæ ea tantum est incommunicabilitas quæ in hærentiæ opponitur: sed loquendo de *subsistentiâ in particulari* eamque strictè dictâ, quæ perfectissimum subsistendi modum exprimit, illa constituit rem omnino incommunicabilem. Et hæc subsistentia est suppositorum propria.

L IV. Igitur *completa subsistentia* dicit incommunicabilem subsistendi rationem, hoc est, ultimam & omnimodam independentiam ratione subsistentiæ. En in hac *incommunicabilitate subsistendi* consistit formalis ratio suppositi seu supposititalitatis & personalitatis. confer ea quæ partim in anteced. disp. thes. 48. & seqq. partim in 4. sequente habentur thes. 44. & seqq.

Completa subsistentia. Formalis ratio suppositi quænam sit.

L V. Et hoc liquido constat inde, quando omnes concedunt suppositum esse aliquod ultimum & ultimò terminatum,

tum, quod independenter & incommunicabiliter subsistat:
item quod sit aliquid non dependens ab alio sustentante:
item quod suppositum perfectissimo modo subsistat.

LVI. Hinc enim palam fit, quod illa ratio, per quam
suppositum ultimò terminatur, per quam independenter &
perfectissimo modo subsistit, sit vera ratio formalis supposi-
ti, cum per hanc præcisè constituatur in esse suppositi, quat.
tale est. At vero hæc ratio est incommunicabilitas
subsistentiæ. Ergo sit conclusum, quod *incommu-
nicabilis ratio subsistendi* dicat formalem
rationem suppositi.

F I N I S.




AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle
003 357 104

3







Farbkarte #13

B.I.G.



23

PHYSICÆ
TIO III.

FORMALI
SITI,

UM PHOTINIA-
CTA,

S. S. Trinitatis

SIUM ACADEMIA
DIO

SCHARFII,

idensis Saxonis,
f. Adjuncti,

improponit

OGLERUS,
ncus,

ajore

is à 7. matut.



R G Æ,
STIANI THAM,
gr.

XXIV.

